

modo ad presens. Et hec omnia supradicti domini consules et iudices, nomine comunis et hominum dicte ciuitatis Spaleti ex una parte, et prefatus Georgius ex altera, ad inuicem promiserunt et se obligauerunt adtendere et obseruare et in nullo contrafacere uel uenire aliqua ratione uel causa, sub pena ad inuicem XX soldorum grossorum cum refectione ad inuicem dampnorum et expensarum litis et extra et sub obligatione omnium suorum bonorum, obligando dictus Georgius omnia sua bona ad predicta obseruanda et adtendenda ubique posita et reperta et dicti domini consules et iudices omnia bona dicti comunis presentia et futura. Actum Spaleti in platea sancti Laurentii, presentibus Peruoslauo Johannis et Madio Alberti testibus, et Nicola Desse Cuthey examinatore.

XXI

1359, 10 maggio.

IV, III, 29/41 e 30/42.

(cc. 29/41): In dei nomine amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, indictione duodecima. Regnante domino nostro domino Lodouico dei gratia serenissimo rege Hungarie, temporibus quidem reuerendi patris domini Hugolini eadem gratia archiepiscopi Spalatensis magnificique et potentis domini Nicolay de Seçe tocius Croacie et Dalmacie bani generalis comitis, ac nobilium uirorum dominorum Gregorii Petri, Stephani Miche et Nicole Petri Nicole iudicum ciuitatis Spaleti.

(cc. 30/42): Die predicto (10 maggio). Marinus Laurencii syndicus comunis et hominum ciuitatis Spaleti, cum consensu et uoluntate dominorum iudicum et tocius generalis consilii ciuitatis Spaleti ibidem ad sonum campane et uocem preconis, ut moris est, ad hec specialiter congregati, fuit confessus et contentus, ipsum comune habuisse et recepisce a Thomasso Alberti doanario becharie et piscarie comunis, dante et soluente pro parte solutionis dacia dicte becharie, ducatos centum et unum in monetis, de quibus dictus syndicus, nomine dicti comunis, fecit eidem Thomasso finem et quietationem. Et quia dictus Thoma dedit et soluit ipsi comuni dictos centum et unum ducatum ante terminum contentum in uenditione dicti dacia, ideo dictus syndicus cum uoluntate dictorum iudicum et consilii et ipsum consilium totum uoluerunt et sunt contenti, quod centum et unum ducatum de auro in monetis de residuo dicti dacia idem Thomas teneatur et debeat soluere eidem comuni tanto tempore post terminum uenditionis dicti dacia, quanto ante terminum soluit centum et unum ducatos supradictos, cum refectione etc.